

Christian Schlee   Lorenz Tychsen

## **Exgsis Vaticanii Davidici Ex Psalm. CX.**

Rostochi[i]: Reusnerus, 1610

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737659394>**

Druck   Freier  Zugang



Chr. Sledanus.

R. U. theol. 1610.



EX EGESES  
ΕΞΗΓΗΣΙΣ

VATICINII  
DAVIDICI  
EX PSALM. CX.

DIXIT DOMINVS DOMINO MEO;  
SEDE A DEXTRIS MEIS, DONEC PO-  
NAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PE-  
DUM TUORUM;

publicè proposita in Academia  
ROSTOCHIENSI,

Christiano Sledano,

S.S. Theol. Doctore & Profess. Publ.

Vt de eâ, XXVII. Octobris, in Scholis  
Theologorum placida *αὐθιμῶς* instituat.

*Respondente*  
LAURENTIO TYCHONE  
*Holsaro.*



ROSTOCHI,  
Typis Reusnerianis, Anno M. DC. X.



VIRIS

Reverendâ pietate, eruditione, & Authoritate præstan-  
tissimis, deq; Ecclesiâ Christi & Scholis optimè meritis,  
& adhuc merentibus,

D. M. FRIDERICO DAME agri Fle-  
nopolit. Præposito dignifs. & ad D. Nicol.

{ apud Flenspur-  
genses Pastorib.  
sinceris, & fida-  
lissimis;

D. M. GERHARDO OUVVE  
ad D. Iohan.

D. M. FRIDERICO JOANNI ad D. Nicolai,  
verbi Divini ministro vigilantissimo,

Domini Patronis, Fautoribus & Promotoribus suis  
debitæ observantiæ studio perpetim colendis;

II ET

REVERENDO AC DOCTO VIRO,

Dn. LAURENTIO TYCHONI Pastori apud  
Salenos in Holsatiâ fidelissimo, Parenti suo, sum-  
mo semper amoris & obsequij cultu  
prosequendo,

Hanc συζήτησιν Θεολογικὴν in amoris Documen-  
tum, animiq; grati monumentum

dicat,  
consecrat, offert;

Laurentius Tycho Jun. R.



## T H E S I S I.



Um superioribus diebus haud ita pridem ad populum in publicis Ecclesiae congressib. homiliticè fuerit istud Regij Prophetae de personâ ac Regno Messiae vaticinium ex Psalm. CX. (DIXIT DOMINUS DOMINO MEO: SEDE à DEXTRIS MEIS, DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM) enarratum; inde adeo nobis de commodâ & nostro instituto, hoc potissimum tempore, conveniente materiâ cogitantibus occurrebat articulus Fidei Catholicæ de SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM DEI PATRIS: quippe quem in hoc vaticinio tanquam in propriâ sede esse fundatum, nemo non animadvertit.

2. Hunc igitur Fidei nostræ articulum in suas controversias more Scholastico resolvere, ejusq; veritatem DEO auxiliante publicæ *συμφελολογίας* ergò explicare nobis est animus, si prius genuinam ipsius oraculi propositi sententiam fuerimus assecuti.

3. Principiò autem probè est sciendum, *Numquid ode isthac de solo Messia seu CHRISTO unicè loquatur & intelligi debeat?* *Judæi* quidam simpliciter negant, hunc Psalmum esse accipiendum de Christo, sed illum referunt vel ad Abrahamum, quem ex prælio feliciter contra Reges gentium confecto redeuntem Gen. 14. Eleazar servus ejus alloquatur gratulabundus, hunc in modum: Dixit Dominus Domino meo, &c. vel ad Regem Ezechiam, qui ad dexteram templi confedit, & cujus hostes Deus potenter prostravit.

4. Verùm non operæ est precium, fabulam istam operosè refellere, siquidem neq; Abrahamus, neq; Ezechias legitur fuisse Sacerdos, & quidem in æternum; aut de torrente in viâ bibisse, ut propterea capita sua exaltârint. Utraq; affectio attribuitur huic Domino, de quo præsens Psalmus vaticinatur.

5. *Calvinus* Iudæizans statuit, posse hunc Psalmum aliquatenus personæ Davidis competere.

A

s, Nos,

6. Nos, missis & Iudæorum & Iudaizantium nugis, verba presentis Psalmi non de alio quopiam quàm de solo Messia intelligi posse ac debere contendimus; idq; autoritate ipsius Christi asserentis Davidem hic in Spiritu vaticinari de Messia: Matth. 22. itemq; suffragijs Apostolorum Petri 2. 34. & Pauli 1 Cor. 15. 25. Ebr. 1. 13. & 5. 6. & 7. 21. hunc Psalmum disertis & perspicuis verbis ad Messiam unice accommodantium, & ex eo luculenter demonstrantiũ, quod nulli mortalium, imò nec Angelorum uni cõvenient ea, quæ Regius vates de suo Domino in hac ode cecinerit. Nam, ut cætera indicia & documenta, quæ ex ipsis rebus tanquam visceribus hujus Psalmi enascuntur, præteream, hic Dominus, quem nobis Psalmographus cõmendat, hicce, inquam, Dominus & sedere jubetur ad dexteram Iehovæ, & inducitur tanquam Rex juxtà ac Sacerdos, nec tamen Aaronicus, sed Melchisedecianus; nec temporarius, sed æternus. Quorum nihil sive de Patriarchis, sive de Regibus, sive de Prophetis, qui à seculis fuerunt, potest dici. Singula a. in Messiam nostrum optimè & exactissimè congruunt. Accedunt priscorum Rabbiorum testimonia quæ Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis lib. 5. cap. 5. & lib. 8. cap. 24. & lib. 10. c. 5. ex comment. Thalmudicis prolixè recenset.
7. Quibus stantibus, nunc non integram oden enarrare, sed ejus primum duntaxat versiculum, quem à verbo ad verbum jam ante recitavimus, exegeticè explicare libet, cujus summa complectitur Vocationem, quâ Christus à Deo Patre ab æterno est constitutus & inauguratus Rex omnium. Suntq; verba singula adeò emphatica, ut hunc Regem ab alijs Regibus ac Monarchis omnibus in terris evidenter distinguant.
8. Quatuor enim in primis sunt expendendæ circumstantiæ, quibus videlicet exprimitur Regis hujus & *Autoritas, & Divinitas, & Majestas, & Felicitas.*
9. **AUTORITATE** seu Decreto DEI Opt. Max. non ausu proprio, sicut quondam Theudas & Judas Galilæus, Actor. 5. non stultis suffragijs, non malis artibus regiam administrationem Messias hic occupavit; sed in Concilio Sacrosanctæ individux Trinitatis Deus Pater, quem Vates hoc loco nominat illustri & soli DEO proprio nomine JEHOVAH, ab æterno
- DJXIT

**DIXIT** seu decrevit, constituit, & voluit, ut Filius suus unigenitus Regnum universum, quod est & gratiæ & gloriæ & potentia, capefferet, admissus scilicet in societatem ac consortium majestatis, celsitudinis, & operationis divinæ.

10. Et ut decretum illud æternis temporibus tacitum nobis mortalibus, quorum causâ erant hæc quasi comitia indicta, innotesceret; idè Psalmista denunciât, se ex afflatu & instinctu Sp. S. de isto decreto ac voluntate Dei verâ scientiâ seu notitiâ habere, quippe què Deus assciverit tanquam æterni hujus consilij amanuensem ac notarium, ut istorum comitiorum dicta & acta generi humano patefaceret ac promulgaret. Nam in divinis vox hæc **DICERE**, (quæ Prophetis perquam est familiaris, quando divina oracula denunciare nobis volunt dicentes: *Dixit Dominus*) non tantum designat, quod decretum ab æterno facere, sed & idè, quod factû est, in tempore patefacere ac certè asseverare. Sic igitur *Jehovah*, Deus Pater *Dixit* Filio suo, non quasi is de suâ ad Messia officium electione ac destinatione esset incertus, (Quid enim ei opus est ullâ revelatione ac denunciatione, qui est ipsamet Sapiencia Patris, & in quo omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ sunt reconditi?) sed ut nobis potissimum de isto æterno decreto **DEI** certissimè constaret, quàm illud sit immotum & immutabile.

11. **DIVINITATEM** Regis Messiaè facillè æstimare licet ex eo; quòd vates ipsum appellat **DOMINUM SUUM**.

12. Ubi accuratè notetur, hoc loco à Davide neq; Messiam dici *Jehovah*, sed *Adonai*; neq; Deum Patrem compellari *Dominum suum*. Non quòd vel Messia non essentiale istud nomen *Jehovah* conveniat; vel quòd David Deum Patrem non æq; atq; Filium ipsius agnoscat & veneretur tanquã *Adonai*, *Dominum suum*. Sed à linguæ Sanctæ peritioribus didicimus, vocem *Jehovah* esse nomen essentia, describens Deum absolute, qualis est in se, & non qualis nobis est ac nosse fieri potest; Vocem autem *Adonai* non esse essentia, sed operationis. Est enim, ut quibusdam placet, ab *Adon*, quod significat basin, sustentaculum, ac fulcrum. Unde *Adoni* interpretantur Sustentato-

rem meum. **A** 21. 13. Patet

13. Patet ex hisce Hebræorum observationibus, I. appellationem *Adonai* convenientissimè accommodari secundæ personæ Trinitatis, quæ sola est quasi fulcrum & sustentaculum, quod gravissimo oneri peccatorum totius mundi substat, Unde Christus dicitur nobis à patre factus justitia, sapientia, redemptio, 1. Corinth. 1. imò ipse est lapis angularis, super quem exædificata est Ecclesia, Eph. 2. & ipse portat omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1. II. *Jehovah* seu Deum ac Dominum illuminatione suæ essentiæ perfectissimæ, absconditum, & in luce inaccessâ habitantem, nec ulli creaturarum communicabilem fieri & appellari posse *Adonai*, scilicet non quâ est & existit, sed quâ nos sustentat & salvat; Quod fit per unum & solum Christum, quem proposuit Deus propiciatorium in sanguine ejus, Rom. 3. & per quem habemus accessum ad Deum Patrem cum fiducia Hebr. 4. isq; solus est via, veritas, & resurrectio Ioh. 14.
14. In tantum igitur hac vocabulorum, *Jehovah* & *Adonai*, commutatione nihil quidquam de Divinitate Filij Dei derogatur, ut eadem potius magis magisq; cõfirmetur ex eodè argumèto, quod videlicet David Messiam, quem ex suâ profapia noverat oriundum, nihilo tamen minùs in Spiritu nominaverit *Dominum suum*, agnoscens ipsum non nudum Hominem, nec sibi vel quoad personam vel quoad officium æqualem, sed multis modis se majorem, talem quidem, *cujus lex hominis DEI Domini, hoc est, cujus ratio sic se habeat, ut sit, simul Deus & Homo*; quemadmodum ipse David loquitur, postquam à Nathane spem æ promissionem de Messia post multa secula ex familiâ ipsius nascituro acceperat 2. Sam. 7. 19.
15. MAJESTATEM hujus Regis ac Domini explicant ipsissima formalia verba inaugurationis: SEDE, hoc est, regium *αἰθώρα*, dominiû, honorem, potestatem, & gloriam, quam tibi trado, capesse, ita ut nec supra me, nec sub pedibus meis, nec sub dextra, sed AD DEXTERAM MEAM regnes.
16. Quibus verbis ut divinæ gloriæ ac majestatis nulla sive præminencia sive diminutio, sed cœqualitas exprimitur: ita & Christo Regi plenaria Regni administratio juxta modum dexteræ DEI committitur, & commissum esse, civibus Regni Christi solemniter denunciatur.
- Qua-

17. Qualis autem hæc sit majestas, & Quis horum verborum sensus genuinus, paulò post plenius explicabitur.
18. FELICITAS deniq; Regni Messæ describitur verbis insequentibus: **DONEC PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM.** Quæ verba in se continent amplissimam promissionem de prospero successu hujus Regni, quod Messæ juxta æternum decretum Dei fuit in tempore commissum.
19. Quamvis enim Regnum illud assiduis quasi belli motibus graviter ac indefinenter ab hostibus ferocissimis & potentissimis, quorum quasi vexillifer est serpens iste antiquus, princeps mundi, rector tenebrarum, Deus hujus seculi, homicida & mendax ab initio cum omnibus inferorum portis infestetur atq; oppugnetur, ut Civibus hujus Regni non modo non suaviter ex voto vivere, sed ne quidem sine metu esse liceat: nullis tamen tot tantorumq; sævissimorum & truculentissimorum hostium viribus, fraudibus, alijsq; artibus everti hoc Regnum in omnem æternitatē poterit, sed Deus Pater omnes ac singulos hostes Filio suo ac Dn. nostro Iesu Christo ad dexteram sui Patris sedenti, pedibus conculcandos & conterendos objiciet. Quâ spe ac promissione certissimâ fretus Messias pro sui Regni salute, incolumitate & libertate asserendâ masculè pugnabit, & inimicos suos potenter oppugnabit, omnibusq; viribus & armis planè exuet, ut ne hiscere adversus ipsum amplius ausint, donec de depositis seu devictis jam hostibus & ad pedes ipsius usq; in æternum prostratis sit victoriam reportaturus atq; triumphaturus tanquam Rex ac Dominus gloriæ.
20. Duo autem *hujus*, quâ Regnum Christi describitur & exornatur, *Felicitatis* enarrantur *adjuncta*.
21. *Vnum* ex parte Hostium devictorum; *alterum* ex parte Messæ Victoris.
22. *Illorum* est Miseria; *hujus*, Victoria.
23. *Quod ad Hostium miseriam*, denunciatur ea fore summâ, conjuncta cum extremâ abjectione ac degradatione. Tametsi enim hostes Regni Christi videantur esse formidabiles potentiâ & impudentiâ, temeritate & malignitate; omnis tamen eorum

*trivertia* penitus destruetur, cum jam pœnis gravissimis erunt subiciendi, quod ipsum Regi ac Domino nostro CHRISTO admodum est futurum gloriosum.

24. Atq; hanc gloriam & felicitatem Regis nostri innuit forma sermonis: *Poni ad scabellum pedum*: Quæ probè consideranda est & intelligenda juxta interpretationem Apostoli, qui eam vocabulis æquipollentibus, & *Destructionis & Subjectionis* exponit. 1 Cor. 15. v. 26. 27.
25. Videtur autem hæc phrasis esse petita à ritu & consuetudine Uictorum ac præsertim Orientalium, qui equos conscensuri devictos hostes loco scabelli olim adhibuerunt. Josua severè præcepit senioribus populi, ut Chananæos debellatos pedibus conculcarent. Iof. 10. 24. De Adonibesech constat, ut is LXX. Reges sub mensam suam abjecerit, colligentes fragmenta ad pedes ipsius Iud. 1. 7. Idem fermè à Tamerlane factum fuisse accepimus, qui Bajacete usus est instar scabelli.
26. *Quod Messia ac DOMINI nostri Victoriæ*, prænnunciatur hæc fore non temporaria & transitoria, sed æterna & nullis seculis cessatura. Si enim fidei analogiam sectari, ut maximè Scripturæ interpretem decet, velimus; oportet voculam indeclinabilem, *Donec*, pro conditione subiectæ hujus materiæ; quæ est de Regno Messia, ita referre ad tempus præcedens, ut de sequenti non affirmetur contrarium. Quo sensu perennitas seu æternitas Regni hujus confirmatur.
27. Interdum n. ut præter alios & Chemn. part. 1. L. C. p. 148. observavit, particulæ *Donec & Usq;* non semper significant terminum ac finem futuri, sed partem temporis, de qua dubitari poterat, reliquâ temporis continuatione, ceu per se notâ ac manifestâ, in medio relictâ. E. G. Quoniam nos Christiani in hoc mundo videmur esse deserti, adeò Christo nobis cõsolationis ergò promittit se fore nobiscum usq; ad consummationem seculi. Matt.
28. Non quòd Christus consummato seculo in alterâ vitâ suos electos velit derelinquere, sed hoc tanquam notum & extra controversiam manifestum præsupponit, tunc ipsum certissimè nobis ad futurum. Et Apostolus jubet Timotheum attendere

tendere lectioni, *donec veniat*. Quo præcepto non vult Timotheum in lectione sacrarum literarum debere esse tam diu assiduū, quoad ipse Apostolus absens fuerit; postea verò debere eum à legendis Biblijs desistere. Confer & alia Scripturæ testimonia. Gen. 8. 7. & 28. 17. 2 Sam. 6. 23. Mat. 1. 25 & 5. 18. Quin & communiter sic loqui consuevimus. e. g. *Vale, donec rediero*. Quæ forma valedictionis potissimum exprimit istud temporis intervallum, quod amicis, cui valedicimus, potest reddere certum, nos, etiam si simus absentes, de ejus valetudine ac fortunâ esse sollicitos.

28. Eodem modo, ut ad præsens negotium redeat oratio, æternitas Regni Christi indicatur per particulam, *Donec*. Neq; enim Christus eo usq; tantum, donec seu quousq; inimicos suos superaverit, est sessurus à dextris DEI Patris atq; ex throno majestatis divinæ regnaturus, ita ut postea velit aut cogatur sedem istam deserere; quod in clarissima Scripturarum oracula impingit. Prophetæ enim fuerunt vaticinati, Regnum Christi fore Regnum æternum, quod non corrumpatur, Da. 7. & cujus nullus sit unquam finis futurus. Es. 9. Luc. 1. Et ipsum verbum *Sedendi*, quo David hic utitur, non absolutè significat Sedere, sed sedendo habitare, sedendo manere, & perseverare in sede, quemadmodum Hebræi annotant.

29. ATQ; hæcenus succinctam & orthodoxam dedimus prioris versiculi in hoc proposito nostro Psalmo CX. ἐξήκοντ; quæ quidem varias, utiles, & necessarias nobis observationes seu Locos doctrinæ de mysterio S. S. Trinitatis, de duabus naturis in Christo, de ejusdem Unione Personali, de Exaltatione carnis Christi, de nostræ carnis dignitate ac præ eminentia super omnes creaturas, de efficacissimâ Consolatione in omnibus adversitatib. concipiendâ ex Sessione Christi ad dextram Patris, de reciproçâ ac mutuâ Christianorum & Inferorum hostilitate, & de alijs gravissimis rebus suppeditat.

30. Sed præcipua & hujus loci propria est Doctrina articuli de **SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM DEI PATRIS**. Quæ articulus quoties Chrysostomus apud animum suum fuit impensius meditatus, toties se in ἐξήκοντ; quandam fuisse raptum, inq; altiores de

de humanâ nostrâ naturâ cogitationes descendisse, de seipso  
fatetur in Comm. epist. ad Hebr. cap. 2.

31. Ut igitur nos quoq; articuli hujus mysterium secundum fidei  
Christianæ simplicitatem expendamus, ordine despiciemus  
Controversias insequentibus:

I. *Quid nomine Dexteræ Dei in Scripturis veniat?*

II. *Quid ibidem ad Sedere, & quidem ad dexteram  
Dei Patris Sedere significet?*

III. *An majestas, quam Christus ex Sessione ad de-  
xteram Dei est consecutus, terminetur finitis donis &  
mensuratâ ac limitatâ gloriâ?*

IV. *Juxta quam naturam Christus ad dexteram  
Patris consideat?*

V. *Utrum Sessio ad dexteram Patris planè coincidas  
cum Unione personali? seu Quando Christus ad dexte-  
ram Dei sit collocatus?*

VI. *Num Ignavia Idiomatum, quam ex tō vñ ipsius  
Unionis seu incarnationis ε λόγος fuisse factâ credimus,  
perfectissimè per Sessionem ad dexteram Dei illustre-  
tur? seu, An Christus, postquam sese ad dexteram  
Patris collocavit, plenarium usum idiomatum divi-  
norum, Omnipotentia, Omniscientia, & Omnipresen-  
tia fuerit adeptus?*

32. I. DEXTERA DEI simpliciter nihil corporale in Deo creato-  
re, nihil locale in rebus creatis significat.

33. Non in Deo; quippe qui est Spiritus, Ioh. 4. v. 24. apud quem  
propriè neq; dextrum, neq; sinistrum datur. Quo modo Au-  
gustinum lib. de Agone Christian. cap. 28. locutum legimus, quòd  
nullâ formâ corporis DEUS definatur & concludatur.

34. *Nec in creato aliquo celo thronum quandam localem, nec sedem creatitiam  
caelo*

ocelo inclusam denotat. *Principio n. nullis Script. testimonijs*  
adhuc demonstrari potuit, sessionem hanc Christi ad dexteram  
Dei solis cœli terminis circumscribi & fini. *Deinde ex Patrib.*  
attendamus Chryf. Tom. 4. Hom. 2. in c. 1. ad Ebr. qui inquit: *In*  
*Majesatis dextrâ, In Excelsis, quid est? Num Deum loco includi? Absit.*  
*Sed sicut, cū dixit, In dextra, nō figurâ humanâ corporis Deo tribuit, sed similitudi-*  
*nē manifestabit honoris, quem filius æqualem habet cum patre; ita cum dicit (In ex-*  
*cellis) non eum loco includit, sed ostendit cœlis esse altioem.* Deniq; absur-  
da exinde sequerentur absurdissima; videlicet. I. illam sedem  
in cœlis iri aliquandiu relictum vacuum, quando Christus ad  
iudicium sit è cœlis in nube rediturus. Christus enim disertè  
prædixit, se istud iudicium ex divino throno dexteræ Dei in-  
frâ in nubibus velle exercere Matth. 25. v. 31. Luc. 21. v. 27.  
II. Christum ipsum non minùs, quàm creaturam illum, cui in-  
fidere fingitur, thronum cœlis includi. Atqui tantùm abest,  
ut Christus cœlis includatur, ut longè supra omnes cœlos a-  
scenderit. Eph. 4. v. 10. III. Dexteram Dei extra cœlum neq;  
esse, neq; inveniri, si hæc cœlo, ut locus loco, includeretur. At  
dextera Dei est ubiq; præsentissima extra & supra omnem lo-  
cum Ps. 139. Accedit quod locus omnis naturalis non sit nisi  
creatus & finitus. Dextera autem Dei, omnium rerum con-  
ditrix, est increata & infinita, ut ex sequentibus magis inno-  
tescer.

*Anton. Sadeel de verit. hum. naturæ impiè contendit. Dexteram Dei nus-*  
*quam alibi proponi, quàm in cœlo.*

**39.** Nihil v. aliud per DEI DEXTERAM juxta infallibilem  
Scripturæ interpretationem & collationē intelligimus, quàm  
divinam virtutē, potentiā, zelū, imperium, majestatem, gloriā,  
que præsens omnia implet, gubernat, sustinet, servat, nulli loco  
inclusa, à nullo exclusa, ubiq; efficax, ubiq; præsens. Idq; demō-  
strant I. *Scripturæ* testimonia quæ plurima & notissima, in quib.  
magnifica & verè divina opera tribuuntur huic dextræ. In  
primis verò notetur sententia Apostoli, qui Eph. 2. v. 20. 21.  
Sessionem hæc ad dextram Dei definit tali gloriā, quæ sit super  
omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominatio-  
nem, & omne nomen, quod nominatur non tantùm in hoc, sed et-  
iam in futuro seculo. II. *Epitheta* quædam emphatica, ut quod  
appel-

B

appel-

appellatur *Dextra* δυνάμειος ἢ Θεῆ Matt. 26. 64. Luc. 22. 69. μεγαλοσύνης ἐν πῆς ἔξουσι, Ebr. 1. & 8. quæ voces adjectæ sensum hujus dexteræ genuinum declarant, III. Orthodoxæ Antiquitatis suffragia; Ita enim dextram Dei definit & explicat *Gregorius Nyssenus* apud *Theodoretum* in dial. 2. ἡ δεξιὰ ἢ Θεῆ ἡ ποιητικὴ τῶν ὄντων τῶν πάντων ὅπως ἐστὶν ὁ κύριος, δι' ἧ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ ἢ Χωρὸς τῆς ἐξουσιᾶς τῶν γεγονότων ἔδεν, αὐτὴ τῶν ἐνωθέντων Θεῶς αὐτὴν ἀνθρώπων εἰς τὸ ἴδιον ἀνήγαγεν ὁ ψ. Dextra Dei, omnium effectrix, quæ est ipse Dominus, per quem omnia, & sine quo factum nihil, unitum sibi hominem in propriam celsitudinem evexit. *Augustinus* lib. 1. de Symbolo ad Catech. c. 1. Dextram intelligite potestatem, quam accepit homo ille susceptus à Deo. Et contra sermonem *Arrianorum*. Dextra Dei est aterna illa & ineffabilis felicitas, quod pervenit filius *baninis*. *Thomas* par. 3. q. 58. art. 1. id ipsum prolixè & verè probat, arg. inter cætera allegat *sententiam Damasceni*: Non localem Patris dextram dicimus, sed gloriam & honorem Deitatis. Quomodo enim qui incircumscribitur est, localem adipisceretur dextram.

36. Quod autem *Sacra Scriptura* divinam gloriam & majestatem appellatione *Dexteræ Dei* dignatur, id non ἀδρωπίνως, sed ἀνθρώποπιδως dictum intelligatur, quo *Spiritus Sanctus* sese ad nostrum captum accommodat, ut res impervestigabiles aliquo modo nostro intellectui adumbrentur. Quemadmodum enim homines suam potentiam, & vires maximè faciunt conspicuas non lavá, sed dextrá manu, cujus usu præcipua officij sui opera perficiunt & exequentur, (ut cum *Psal. 144. v. 8.* dicitur: *Dextera eorum, dextera iniquitatis seu mendaciæ*, hoc est, fallit eos fiducia propriæ potentia, nec possunt assequi, quod cupiunt) ita per *Metonymiam* causæ *Dextra Dei* significat efficacem virtutem & præsentiam, quam *Deus* in rerum omnium ac in primis *Ecclesiæ* conservacione & gubernacione ostendit. Et quem honore excipere volumus, eum ad dextram collocare solemus ad exemplum *Salomonis*, qui honoraturus matrem collocavit à dextris 1 *Reg. 2.* Sed hæc plenius ex insequentibus intelligentur ad quæst. 3.

Inter ἀνθρώπων principem locum facillè occupant *Antropomorphitæ*, & *Manichei*, qui membra humana Deo attribuerè non erubuerunt. *Calviniani* *Dexteram Dei* εἰδικώς pro certo caeli loco seu de limitatâ sive restrictâ quadam dextrâ Dei, quæ non se extendat ad omnia, sed quæ in caelis

ecclis tantum contineatur, accipiunt. *Bullingerus* in 1. ad Cor. pag. 206. & in tractat. verb. Domini, In domo Patris: pag. 20. & in Apol. Tigur. ad D. Andr. p. 96. edit Anno 1575. *Beza* ad 3. partem libri Brentiani p. 601. 607. & de omnipot. carnis Christi contra Brent. fol. 133. *Ursinus* part. 2. Catech. pag. 127. *Petrus Martyr.* in Dial. de utraq; in Christo natura p. 75. *Georgius Major* in Postilla part. 3. p. 118. & 119. Quibus non bene convenit cum suo *Calvino*, qui in comm in cap 1. ad Eph. Hic, inquit, locus aperte ostendit, quid significet Dei dextera, non locum scil. aliquem, sed potestatem, quam Pater Christo contulit, ut ejus nomine caeli & terrae imperium administret.

37. II. Est & SEDENDI vox probe expendenda. Si incomplexè sumatur, tunc sedere proprie designat situm corporis; Meta-lepticè idem est, quod vel morari vel quiescere: Nú, 3. 2. 6. Luc. 24. v. 49. vel imperare & regere. 1. Reg. 1. 30. Ps. 9. 4. Ef. 16. 15. Complexè si phrasis usurpetur, Sedere ad dexteram Dei, neq; corporis situm & modum corporeum ac localem significat; quoniam thronus ille dextre Dei est illocalis & incorporeus; Ita & *Epiphan.* in Ancorato τὸ κάθηται, μὴ ἑπολάμβανε ἀνθρώπινως, ἀλλ' ἀνεκδιηγήτως καὶ ἀκατάληπτος. SEDET, ne accipias humano sensu, sed ineffabili & incomprehensibili. Et *Cyrillus*; Magna, inquit, est amentia per sessionem ad dextram Dei, situm aliquem intelligere, sicut forsitan mater filiorum *Zebedaei* intellexit; vel sicut latro ad dextram pependit.

Neq; simpliciter denotat, quod regnare ac dominari. Nam & Sancti in caelestibus regnant, quos tamen nemo dixerit sedere ad dextram Dei Ebr. 1.

38. Neq; omnino idem est, quod infinitam ac divinam potentiam erga creaturas exercere; cum illud opus sit commune singulis tribus personis divinitatis, quas tamen non singulas confitemur ad dextram patris sedere.

39. Sed hæc locutio sensu idem hinc sonat, quod est in divinissimi, ut ita loqui liceat, regni dominijq; caelestis atq; omnipotentiae societatem & consortium suscipi, assumi, pervenire, omnibus que creaturis, bonis & malis, caelestibus, terrestribus, infernalibus, pari & equali cum Patre & Spiritu Sancto potentia, divinitatisq; gloria æternâ presentem ubiq; locorum potenter & sapienter imperare, regnare, dominari. Sicut enim Reges ad dextram suam collocant, quos in Regni societatem admittunt, significantes hoc ritu, se velle dignitatem, majestatem, & potestatem

statem suam cum his esse communem; sicut modò de Salomone  
 matrem suam honoraturo diximus 1. Reg. 2. ita Christus dici-  
 tur esse ad dextram Dei Patris collocatus, ut significetur, Chri-  
 stum accepto à Deo Patre imperio, pari cum eo potentia in Ec-  
 clesiâ regnare, ejusdemq; throni & sedis esse participem ac  
 consortem. Cujus interpretationis testem habemus omni ex-  
 ceptione majorem Apostolum 1. Cor. 15. 25. Eph. 1. v. 20. 21. 22.  
 Heb. 1. v. 3. 4. 5. Suffragatur explicationi nostrâ *Primasius Au-*  
*gustini* discipulus, qui verbum Sedendi in cap. 1. ad Ebr. inter-  
 pretatur pro habitudine in plenitudine majestatis, dignitatis,  
 honoris, & gloriæ. *Basilium Magnus* de Spiritu Sancto: Το δεξιου  
 εστιν αυτου χωρειν δηλοει, αυτα δε τω θεω το ισον χειρι: Esse in dextra nõ  
 significat esse in certo loco, sed pari potetiâ cū aliquo regnare.

*Ani. Sadeel* de venit. hum. natura, Hoc, inquit, loquendi genus est metapho-  
 ricum, & significat æqualem gloriam cum patre, & æquale imperium  
 cum Deo patre. *Calvinus* in cap. 1. ad Eph. non ab Orthodoxorum  
 sensu videtur longè abesse, quum scribit: Sedere h. l. non ad corporis  
 collocaationem pertinet, sed summâ regnandi auctoritatem exprimit, quâ  
 Christus est præditus, &c. Dicitur ergò Deus Pater Christum extru-  
 lisse ad dexteram suam, quia consortem ipsum imperij sui fecerit, quia  
 per ipsam omnem suam potestatem exerceat. Cum autem dextera Dei  
 cælum & terram impleat, sequitur, Regnum Christi ubiq; esse diffusum.  
 Unde perperam faciunt, qui ex sessione ad Dextram Dei, conantur pro-  
 bare, Christum non nisi in cælo esse. *Hallenus Calvinus.*

Idem tamen sui q. oblitus in 21. cap. Matt. ad v. 22. & in 26. cap. Matt.  
 v. 64. & in c. 16. Mar. v. 19. phrasin (Sedere ad dextram Patris) explicat  
 per illud. quod est secundam à Deo potestatem seu secundum & infe-  
 riorum honoris gradum obtinere. Et *Petrus Martyr* in Dial. Sessionem  
 Christi explicat similitudine Monarchæ, cui aliquis consiliarius ad  
 dextram sedeat; Item patris staturâ procerioris, qui filium sibi habet  
 confidentem à dextris; ut doceat inferiorum quandam honoris gra-  
 dum, non æqualem Christo Patris potentiam concessam. *Bullingerus*  
 ridiculè admodum statuit, Sedendi vocabulû hic significare idem, quod  
 Quiescere.

40. III. Elucescit ex hoc ipso, quid ad tertiam quæstionem sit re-  
 spondendum, quum in dubium vocatur; Quænam illa sit glo-  
 ria & potentia, quæ nomine Dextræ Dei venit, finitanè, limi-  
 tata, restricta & creata, an infinita, increata, & purè divina? Di-  
 vinam nemo facillè negaverit, nisi quis forsan per insignem im-  
 pietatem, & Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli  
 & ter-

6. terræ, cujus hæc esse asseritur manus, in censum creaturæ  
referre velit; & Gloriam, quam Christus juxta naturam  
assumentem habuit ab æterno, & quâ suam carnem in tem-  
pore glorificari petit Iohan. 17. & Omnem potestatem in cælo  
& in terra, quam Christus sibi jure vendicat, Math. 28. finitam,  
aut limitatam, & mensuratam dicere ausit. Præterea media inter  
Angelorum creatam, & Dei increatam, potestatem, ac majesta-  
tem datur nulla; At Christus est evehctus ad dextram Dei, ad  
quam nullus Angelorum pervenire potest, Heb. 1. Ergo ma-  
jestatem & gloriam soli & uni Deo propriam fuit Christus suâ  
ad dexteram Dei sessione consecutus.

Porro quia Christo collocato ad dextram Dei sunt omnia subje-  
cta, & nihil est omissum quod non sit ei subjectum, Ebr. 2. v. 8.  
estq; per Sessionem ad dexteram Dei constitutus super omne,  
quod nominari potest in hoc ac futuro seculo Eph. 1. v. 20. 21.  
ex eo cõsequitur, Sessionem ad dextram Patris esse definien-  
dam, infinitæ gloriæ ac potentæ usurpatione. Deniq; gloria,  
quam Christus ex hac sessione obtinet est, divinæ & increatæ  
majestati vel æqualis, vel inæqualis; Non inæqualis: Dextera  
enim Dei, cujus hæc est gloria, semper est sibi similis. Ergo est  
v. æqualis, &c.

Calviniani fingunt potentiam & gloriam quandam intermediam, quæ sit &  
minor, quam est ipsius Dei, & major, quam Angelorum & hominum, ut  
loquuntur Pseudo Vitebergenses Theologi in quaestionibus pag. 61.  
Similiter Calvinus in c. 16. Marci v. 19. Dextera, inquit, metaphoricè  
significat secundam à Deo potestatem. Petrus Martyr in Dial. de u-  
traq; in Christo naturâ fol. 19. fac. b. Quod annectis, humanam natu-  
ram evehctam esse ad infinitam potentiam, non facile dabo; quia quod  
finitum & terminatum est, infinita non capit. Sufficit hominem Chri-  
stum, bona ultra omnes creaturas, quæ vel cogitari, vel nominari pos-  
sunt, esse consecutum. Danaus pag. 1449. operum: Potestas, quæ  
Christo data est, est vicaria potestas. Confer Bezzæ in colloquio lat. Mom-  
pelg. fol. 206. & Resp. 1. ad acta colloq. Mompelg. fol. 21. 87. 113. 137.  
142. 144. 157. 180. &c.

41. IV. Hæc Sessio ad dextram Patris, hoc est, consortium & socie-  
tas divinæ potentæ ac gubernationis competit non divinæ in  
Christo naturæ, quæ est ipsa dextera Dei, Ec. 53. v. 1. ac proin-  
de juxta illam nõ potest collocari ad dextram Dei; sed alij à di-

B 3

vinitate

vinitate naturæ, assumptæ scilicet. Quòd dum dicimus, majestatem sessionis ascribimus, neq; naturæ assumptæ extra personam, quia natura hæc est in personam Ἐ λόγος assumpta, ita ut non ab illâ in æternum divelli possit: neq; personæ tribuimus absq; ullo respectu naturæ assumptæ: sed personam Ἐ λόγος juxta seu secundum assumptam humanam naturam credimus ac docemus sedere ad dexteram patris.

*Calviniani* locos omnes scripturæ, qui de Christi majestate loquuntur, intelligi volunt de personâ citra respectum alterutrius naturæ. Vide *Ant. Sadeelem* de verit. hum. naturæ in operibus pag. 189. 190. 191.

In transitu a notetur, particulis distinctivis (*Juxta & Secundum*) hoc loco non essentialem proprietatem, sed certum objectum seu certam naturam vel respectum alterutrius naturæ, humanæ scilicet, in Christo venire.

Contra *Antonius Sadeel* de verit. hum. naturæ p. 190. istas particulas dicit significare proprietatem naturæ.

Atq; hanc majestatem Sessionis ad dexteram omnipotentis & dominij super omnes creaturas obligasse Christo juxta carnem, probatur partim Scripturæ testimonijs, partim Argumentis, partim Patrum suffragijs.

Ex plurimis scripturæ dictis hæc pauca annotasse sufficiat Psal. 110. Dan. 7. v. 27. Luc. 1. v. 33. & 22. v. 69. Act. 2. v. 36. Eph. 1. v. 20. Phil. 2. v. 8. 9. Eb. 1. v. & 8. & 10. & 12. 1. Pet. 3. Col. 3. quæ singula hunc articulum de Sessione evidenrer transferunt ad humanam naturam in Christo, ut nemo non per se intelligit, qui allegata loca inspexerit, & diligenter animo secum perpenderit.

Argumenta pro nostrâ assertionem nobis suppetunt non pauca; utpote I. quia Pater in hac exaltatione Christum fecit Dominum, Act. 2. v. 36. imò Christus est factus per Sessionem Angelis sublimior. Ebr. 1. Phrasia a. (*Facere & Fieri*) non potest absq; impietate intelligi de divinâ illius naturâ, in quam mutatio minimè cadit; siquidem vis hujus verbi (ἡρόμην), hoc est Factus) necessariò importat quandam mutationem, II. quia secundum quam naturam Christus est resuscitatus à mortuis, secundum eandem est collocatus ad dexteram patris. Iam verò resuscitatus est humanitate, quæ erat mortua, non Deitate, quæ est ipsa vita. III. quia ut habet axioma Patrum, quic-

Quicquid gloriæ in tempore datur Christo, id ratione naturæ,  
 vel divinæ, vel humanæ, vel utriusq; detur necesse est. At Chri-  
 sto nihil omnino dari in tempore potest secundum divinita-  
 tem, quæ est naturâ immutabilis, Jac. i. omnemq; tuam maje-  
 statem ab æternò à Patre per ineffabilem generationem, com-  
 municatione essentiali, citra ullam mutabilitatem possidet, Ioh.  
 16. Ex quo suâ sponte consequitur, Sessionem ad dexteram  
 Dei competere Christo non ratione utriusq; naturæ simul. Er-  
 gò assumpta nostra caro sedet in altissimo throno dexteræ ma-  
 jestatis & potentix divinæ. IV. Secundum quam naturam  
 Christus est Filius Davidis, secundum eandem sedet ad dexte-  
 ram Patris; quia Filio Davidis est dictum: Sede à dextris me-  
 is Psal. 110. Matth. 22. Christus est Filius Davidis secundum  
 carnem. Rom. 1. Ergò. V. Agnus quâ mactatus est, sedet ad  
 dextram in throno Dei majestatis divinæ. Atqui mactatus est  
 carne 1. Pet. 3. Ergò. ¶ Subscribit sententiæ nostræ universa An-  
 tiquitas Orthodoxa, cujus consensum Augustinus refert l. 3. de Sym-  
 bolo c. 8. *Quis est, qui sedet ad dexteram Patris? Homo Christus. Nam in quan-  
 tum Deus, semper cum Patre & ex Patre, & quando ad nos processit, à Patre non  
 recepit. Et in Scrm. de Symbolo: Ipsam dextram intelligite potestatem, quam  
 accepit ille homo susceptus à Deo, ut veniat judicaturus, qui venerat judicandus.*  
 Athanasius: *Sede à dextris meis, hoc ad dominicum corpus dictum est; quia se-  
 cundum divinam naturam antea est in cælo & in terra, & omnia implet Christus, &  
 in nullum thronum denud probebitur. Dominus gloriæ non acquirit gloriam, sed  
 caro Domini gloriæ ipsa accipit gloriam evelta in cælum.* & ἰδὲ ὁ ἕψῃ ὁ ἕψῃ  
 αὐτῷ ἡ οὐρανὸς τῆς ὑψίστης ὑψίστης. *Excelsus n. non exaltatur, sed caro excelsi exal-  
 tatur, & c.* Cyrillus l. 8. Theol. c. 1. *altissimus Dei filius semper est Deus: exaltatur  
 ut homo. Ambrosius l. 5. de fide: Discite nunc, quod secundum carnem omnia sub-  
 jectâ accipiat. Et paulò post: Secundum carnem itaq; ei omnia subiectâ traduntur,  
 secundum quam & à mortuis est resuscitatus. Damascenus l. 3. c. 6. natura nostra  
 est assumpta & sedet ad dexteram patris.*

*Ant. Sad. de verit. hum. naturæ p. 190. vi veritatis adactus non potest non  
 fateri, Sessionis ad dexteram Dei infinitam gloriam, non ad divinam λό-  
 γικῆς naturam, sed ad humanam naturam pertinere, in qua plenissimè æter-  
 na gloriâ iam reluxerit. Veruntamen ipse sibi non constat, quippe qui,  
 ut & Calviniani pleriq; prolixè contendit, Christum non secundum hu-  
 manam naturam esse ad dexteram Patris collocatum.*

*Ursinus parte secunda catech. p. 224. contendit Christum secundum u-  
 tramq; naturam sedere à dextris Dei patris.*

*Busæus in Thesibus contra Gerlaghium; & Bellarm. Tom. 1. controv.*

pag. 320. asserit. Christum ut Deum, non ut hominem, sedere ad dextram Dei. Et sic gens Esavitica quodammodo descendit in castra Passio-  
nitarum, Selucianorum, & Hermitanorum, qui olim negarunt, Christum  
ad dextram Dei sedere in carne, quippe quam in passione ante ascensio-  
nem ipsum dimisisse & expoliasse comminiscuntur.

42. V. In tantum verò articulos de Incarnatione  $\xi$  λόγῳ, seu de U-  
nitione duarum naturarum in Christo hypostaticâ, & de  $\xi$   $\xi$  Longe  
Christi ad dextram Patris non confundimus, ut disertè confi-  
teamur, gloriam Sessionis dependere à mysterio Unionis hy-  
postaticæ, tanquã effectus consequens est à causâ efficiẽte. Nisi  
n. caro Christi in λόγῳ hypostasim personaliter fuisset assumpta,  
nunquam in thronum dextræ virtutis Dei evchi potuisset.  
Dextra n. Dei, omnium creatrix, hominem unitum per Unio-  
nem evexit ad propriam celsitudinem, ut paulo antè ex Greg.  
Nysseno citavimus. Non igitur est confusio, sed accurata co-  
gnatorum articulorum Fidei, Unionis videlicet & Sessionis,  
qui sese habent ut causa & effectus, ut antecedens & conse-  
quens, ut terminus à quo & terminus ad quem, collatio. Una  
quidẽ & numero eadẽ est majestas & gloria, quæcarni Christi  
in Incarnationis momento per & propter Unionem hypostati-  
cam obtigit; & quam nunc sedens à dextris æterni Patris ple-  
nissimè exerit; hujus tamen majestatis & gloriæ ratio est alia,  
quatenus ἐκπικῶς consideratur seu quatenus haberi & possideri  
dicitur, alia quatenus ἐνεργητικῶς intelligitur, h. e. quatenus u-  
surpatur & exercetur. Prius ab Unione; posterius à Sessione  
ad dextrâ Dei dependet; ac proinde quod ex Unione persona-  
li duarû naturarum in Christo, sive ex Incarnatione λόγῳ posse  
esse, & ἐκπικῶς haberi colligimus, id ex majestate Sessionis ad  
dextram verè etiã Esse, atq; ἐνεργητικῶς, sese exercere cognoscimus,  
ut Theologorum alij accuratè loquuntur. Et ad quam glo-  
riam per Unionem Christus erat adductus, ejus gloriæ usum  
plenarium & absolutum per Sessionem est consecutus. Unio  
igitur est fundamentum; Sessio ad dextram Dei Patris est pro-  
vectio ad plenarium usum, seu est illustris quædam & quasi so-  
lemnis in divinam gloriam inauguratio. Præterea ne status  
profundissimæ Exinanitionis & altissimæ Exaltationis confun-  
dantur, Sessionem ad dextram Dei Christo demum post Ascen-  
sum

sum ad cœlos, quo Exinanitio omnis suum finem prorsus est  
forrita, tribuimus. Accedit, quod historia Evangelica Christo  
demum post passionem tribuit gloriam, Luc. 24. v. 26. Ph. 2.  
v. 9. Psal. 110. 7. Deniq; Patres nobiscum consentiunt. Sic  
enim *Ambrosius* in cap. ad Ebr. *Victori Filio post Resurrectionis gloriam*  
*ignobilis Confessus paterna majestatis offertur.*

Per calumniam igitur nobis *Calviniani* & inter hos *Anton. Sadeel* de Ver.  
hum. nat. p. 191. afficiant & affingunt, ac si Unionem hypostaticam  
& Sessionem ad dextram Dei, Exinanitionem & Exaltationem, confun-  
deremus.

43. VI. Ex quo consecutaneum est, quod humana Christi natura, per &  
propter Sessionem ad dextram non potuerit non jam inde am-  
plius è die Ascensionis in cœlos in omnem sempiternam æter-  
nitatem cum cætera omnia divinitatis diomata, quæ sibi habuit  
realiter & personaliter communicata ab illo statim puncto,  
quo in utero matris à divinitate *λογος* est assumpta; tum sigil-  
lariâ & *Omnipotentiam* & *Omniscientiam* & *Omnipresentiam* uno, con-  
tinuo perpetuo ac perfecto actu sine ullâ cessatione, intermis-  
sione, & suspensione, uti quidem sub servili Exinanitionis de-  
claratione majestas ejus per intervalla quasi per nebulam emi-  
cuit, exerere.

*Beza* diversum statuit in coll. [lat. p. 205. & in Resp. Heidelb. p. 165. inqni-  
ens: De humanitatis omnipotentia, omniscientia, & omnipresencia ali-  
quoties respondemus, illa non humanitati etiam unitæ, sed homini illi  
*καὶ αὐτῷ* attribui. *Anhaltini* in Apol Form. Concord. p. 348. Quo-  
niam humanitas Christi creatura est & manet, non potest, nec debet il-  
lud, quod Dei est, illi ascribi. Quocirca non est omnipotens, omni-  
scientia, omnipresens.

44. Et quidem carnis assumptæ OMNIPOTENTIAM, quam alij  
*Dominium rerum omnium* interpretantur, sub gloria Sessionis ad  
dextram Dei comprehendendi luculenter evincunt Scripturæ te-  
stimonium 1. Cor. 15. v. 25. Ioh. 3. & 13. Eph. 1. v. 20. Nec de Christo  
vere posset prædicari, quod esset per exaltationem ad dextram  
Dei effectus Dominus & quidem juxta sententiam Ps. 8. Domi-  
nus super opera manuum Dei & quod omnia ei essent subjecta,  
Eph. 1. nisi verè esset omnipotens. Omnipotentia n. opus est,  
res cunctas gubernare & moderari. Deniq; *τῷ* sedere ad dex-  
tram Dei Patris est omnipotentia divina omnia in cælo & in  
C terrâ

terrâ operari se regere. Christus humanâ naturâ sedet ad dextram Patris. Ergo Christus homo est particeps omnipotentis ac divinæ operationis rerum omnium in carnî.

Contrâ *Beza* l. d. Communicationem, inquit, quâ dicitur humanitas suo quodam modo omnipotens, ne verbalem quæ de n. esse dicimus, sed tam falsam existimamus, quàm falsum est, Vnionem hypostaticâ humanitatem evasisse deitatem.

44. Non minùs & OMNISCIENTIÆ in Incarnationis momento primitùs collatæ plenissima usurpatio ex Sessione à dextris Dei confirmatur. Plenus n. usus Omnipotentiae ex necessitate subinfert plenum sapientiae & scientiae usum; ac proinde si qua in Christi mente esset adhuc ignorantia, non verè ac perfectè ipsum ad dextram Dei esse collocatum credere possemus. Absurdum n. esset, in æternâ vitâ, nedum in dexterâ Dei fingere distinctas quasdam temporum vices, per quas Christi mens humana res cognoscibiles intueretur.

Confess. *Heidelb. Theol.* pag. 83. negat increatam & immensam sapientiam & omniscientiam Christo juxta carnem communicatam.

45. OMNIPRÆSENTIAM deniq; naturæ humanæ itidem non dubitamus ex conditione Dextræ Dei demonstrare; non quòd Ubiquitatem quandam localem aut humanæ naturæ monstruosam extensionem fingamus, sed quia illocalis dextra Dei, in quâ humana Christi natura sedet, negat omnem corporeitatis & localitatis conditionem, ob id carnem Christi omnibus creaturis præsentem citra ullam sui extensionem & citra ulla locorum intervalla ex sede ac throno majestatis pro ratione dextræ Dei, quæ in partes non est dividua, adesse & dominari asserimus. Cujus assertionis argumentum nobis B-Lutherus subministrat hoc modo:

*Quicquid sedet ad dexteram Dei, seu, Quicquid à dextris Dei est ratione loci inseparabile, illud est nulli inclusum, nullibi exclusum, hoc est, ubiq; illud est præsens.*

*Humana Christi natura est ratione loci à dexterâ Dei inseparabilis.*

*Ergò humana Christi natura est nulli loco inclusa, à nullo loco exclusa, hoc est, omnipræsens est.*

*Vrsinus* part. 1. Catech. explic. p. 24. Christus est verus Deus & verus homo.

Itaq; secundum hum. naturam jam non est in terrâ. *Anbaldini* in Confid. præfatio. lib. Concord. præfixæ p. 30. Tanta est hujus portenti de carnis Christi omnipræsentia monstruositas, ut nullus unquam etiâ hæretico.

reticorum acutissimorum publicum ejus patrocinium suscipere ausus fuerit. *Hassander Anonymus* de re Sacrament. p. 109. nugari eos scribit, qui statuunt Christum secundum utramq; naturam esse ubiq; quia sedeat ad dextram Patris.

## Corollarium.

Num quatuor terminis laboret vulgaris iste & jam multorum ore tritus Syllogismus, quem ut nostrates Theologi hactenus pro informandis rudioribus artis Dialecticæ adhibuerunt; ita Calviniani Logici egregiè exagitarunt, & nescio quomodo Ecclesiarum nostrarum Doctores ruditatis Logicæ insimularunt; Syllogismus est hic:

*Dextera Dei est ubiq;.*

*Christus quâ homo sedet ad dexteram Dei.*

*Ergò Christus quâ homo est ubiq;.*

Nos istum Syllogismum & Logicè & Theologicè secundum materiam & formam probamus.



# Corollarium









Copyright 4/1999 VxyMaster GmbH www.vxymaster.com

VierFarbSelector Standard - Euroskal



...tus humanâ naturâ sedet ad dex-  
mo est particeps omnipotentis ac  
mnum in carnî.

...nem; inquit, quâ dicitur humanitas suo  
...ne verbalem quâ deum esse dicimus, sed tam  
falsum est, Vni... hypostaticâ humanita-

...NTIÆ in... nis momento  
...ufur... e à dextris  
...uf... necessita-  
...nde si  
...fe-

...ede  
...bid ca  
...fui exten

...rono majesta  
...st dividua, ade  
...s argumentum ne

...seu, *Quicquid à dextris Dei est ratione loci  
...m, nullibi exclusum, hoc est, ubi, illud est  
...e loci à dextera Dei inseparabilis.  
...lli loco inclusa, à nullo loco exclusa, hoc est,*

...24. Christus est verus Deus & verus homo.  
...ram jam non est in terrâ. *Anbaldini in Con-  
præfixæ p.30. Tanta est hujus portenti de  
...iâ monstrositas, ut nullus unquam etiâ hæ-  
retico.*



44.

45.